

brunn in feudum dedit Anno 1508. (xx) De Johanne Liechtensteinio Alberti Austriaci Supremo Aulæ Præfecto nobilissimus Imhofius (yy) memoriæ prodidit, eum in suspicionem apud Herum suum incidisse, quasi cum Rege Bohemiæ colluderet, propterea-que inopinato de gradu dejectum bonisque omnibus exutum fuisse. Confirmantur hæc fide antiqui diplomatis de Anno 1395. in Archivo Puecheimiano extantis, (zz) in quo narratur, Johannem Liechtensteinium & fratris ejus Georgii filios Johannem & Hartmannum, porrò agnatos Christophorum, Matthiam, Johannem & Henricum fratres Dominos de Liechtenstein gratia Alberti Ducis excidisse, captivosque aliquamdiu detentos fuisse; re autem interventu Burggravii Norimbergensis & Comitis Ciliensis composita, ipsisque in pristinam benevolentiam receptis, Pilgramo Puecheimio Alberti Ducis tunc temporis Aulæ Magistro, cujus ope apprehensi fuerant, fidem dedisse, de injuriis illatis nullo tempore ulciscendis. Idem Johannes Liechtensteinus affini suo Johanni Puecheimio reversales literas de edendis quibusdam literariis instrumentis Anno 1388. tradidit, quibus Sigillum Georgii Liechtensteinii Alberti Austriæ Ducis Supremi Camerarii, [Gammer, Meister] quem Dominus Imhofius æquivocatione vocis Gammer, Meister deceptus, Camerae Præsidentem nominavit, appositum est. (aaa) Cœterum Liechtensteinios Proceres Arcem cognominem prope Medlingam sitam, jamque in ruinis jacentem in bonis suis diu numerasse, eique nomen suum indidisse apud me extra omnem dubitationis aleam positum est; cui sententiæ tanto firmiter inhæreo, quanto ex antiquitatibus celeberrimi Monasterii S. Crucis in Austria certius constat, ex Liechtensteinis Dynastis quosdam in illa vicinia sedes suas positas habuisse, Sepulturamque in Templo S. Crucis adornasse. Hæc enim antiquæ istius Cœnobii membranæ referunt:

Ad lapidem Vigésimum quintum, cui insculpta sunt hæc verba: DIETRIC DE LICHTENSTAIN. Situs in communi claustrum ambitu versus parvum hortum Dietricus de Liechtenstein fuit beneficialiter addictus Marquardo Abbati hujus loci: Hertnidus de Liechtenstein ibi humatus donavit monasterio 5. talenta reddituum super quatuor domos in Ringelnstorff. Elisabetha Heinrici de Liechtenstein conjux 7. Solidorum redditus in Wetzlenstorff quos ipse injuste detinuit monasterio restituit & alios 4. talentorum redditus in Nattendorff superaddidit in remissionem peccaminum præfati sui conthoralis. Hæc ex Archivo monasterii S. Crucis. Liechtensteiniorum nonnulli quoque